

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

CCXXXIIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](#)

## CCXXXIIX.

**S.** Etiamnum , Vir Reverende & charissime frater, expecto, quis sit even-  
tus actionis vestræ erga amplissimum Magistratum: Cumprimis autem  
desidero consilii vestri rationes cognoscere, quas non dubito esse gravissimas &  
solidas, quæ mihi tūd comittentur, modo per fidum aliquem accepero. Scri-  
psit interea pluribus ad me, sed in Januario, D. Jacobus Andreæ, & nuper ex  
cordatissimo viro , rerumque multarum peritisimo , cognovi, non adeo infaci-  
ter procedere pios conatus, de quibus tanto uberiorem spem etiam, in aliis Ec-  
clesiis ad profectum foveo, modo mediocris aliqua moderatio obtineatur, sub-  
stantia doctrinæ capitum per omnia salva. Nunc accipio, Studgardiæ labo-  
borare virum optimum & reverendum D. M. Balthasarum Bidenbachium gra-  
vi & periculoso morbo , & sicut die hodierna quidam nunciavit, etiam tenta-  
tionibus turbari, ut sim in metu, ne melancholicis affectibus afficiatur, unde do-  
lorem etiam graviorem traxi, cum constet, quam eximium sit DEI organum,  
& proinde piorum omnium votis supplicibus debeat Christo commendari, ve-  
ro sospitatori. Arbitror autem, mox certa me inde habiturum per Richardum  
Dinotum, qui ex Heidelberga per Studgardiæ ad nos se reversurum promisit.  
Faxit Dominus JESUS, ut viri hujus præstantissimi opera, fide , dexteritate  
diutius frui Ecclesia possit. Bene valeat P. T. in Christo Jesu, cum uxore, to-  
taque familia & presbyterio. Huldricum tuum etiamnum expecto, ut nos  
vifat. Salutant te reverenter Coceius & Fueginus. Basileæ, prid. Calend.  
Majas, Anno 1578.

R. d. 1.

totus Sulcerus.

## CCXXXIX.

**G**ratiam & salutem in Iesu Christo, Domino ac Serva-  
tore nostro. Venerande ac humanissime D. Doctor.

**V**oluit præstantissimus virtute ac pietate vir, Sebastianus Bircnerus, qui  
filium ad vos præmisit, ipse etiam Argentinam ascendere , & quomodo res  
illich haberent, videre; præcipue verò tuam H. compellare desiderat, cum de ea  
permultum ex me & aliis audierit. Est autem prætor urbis Mulhusanæ in  
Thuringia, de Ecclesia illa quam optimè meritus. Ipse enim cum paucis aliis  
primus petiti dare à Senatu Evangelicis templum ac Doctorem; quippe quod

cccc 2

per